



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. An, & ob quas Causas seu impedimenta admittatur quis etiam post annum, vel post biennium ad proseguendam appellationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

appellationem, neutra pars praevenire possit talem terminum, impetrando litteras, ut causa appellationis committatur, nisi fiat mentio de ipso termino, cum merito malitiosè videatur terminum praefixum tacuisse, ad supplantandam alteram partem litigantem; valent tamen tales litterae, si impetratae sint intra tempus à jure (non tamen ab homine) ad appellationem prosequendam praefixum, etiam si nulla termini à jure positi fiat mentio, cum per se Judici, qui committit hanc causam appellationis, terminus à jure praefixus notus esse censetur, modò, si appellatus tales litteras impetrare contendat, non nimium praeveniat tempus à jure concessum, infavorem praesertim appellantis, sed circa finem aut anni, aut biennij talis impetratio fiat.

Tertio statuitur *in c. Nicolao 64. h. t.* quòd contumax habeatur illa pars, quae post interpositam appellationem ad Curiam Romanam, aut Superiorem à Judice receptam, ac à parte approbatam, per Procuratorem quidem Romae aut apud Superiorem appellationis intra tempus competens comparet, absque eo tamen, ut possit causam appellationis agere, sed praesertim ad impetrandam delegationem & partis alterius impetrationi contradicendum, quia in tali casu procurator videtur tantum missus ad prolongandam litem, & frustra vexandam alteram partem, cui etiam in expensas condemnandum voluit taliter mittentem procuratorem.

Quarto statuitur *in c. Interposita. 70. §. Eidem quoque h. t.* contumacem illum non fore, qui post appellationem quidem, quae tamen nec à Judice re-

cepta est, nec à parte approbata, per procuratorem dicto modo ad impetrandum litteras commissionis, & contradicendum impetrationi alterius partis, quamvis pars adversa sit parata per se, vel per legitimè submissum procuratorem apud Iudicem appellationis officium suscipere, cum in tali casu sibi putare debeat appellatus v. g. quòd satis sibi caverit appellationem appellando, ut ad Curiam Iudicis appellationis, causa appellationis devolveretur.

§. VI.

*An, & ob quas Causas seu impedi-
menta admittatur quis etiam post annum
vel post biennium ad prosequendam
appellationem?*

Quòd impedito legitimè intra tempus biennij tempus appellationis interpositam prosequi tempus hoc excutrat, sed post annum aut biennium elapsum ad appellationis prosecutionem hic admittatur, ex dictis patet, & *in c. Ex ratione 8. h. t.* ne praesudicium perve tali generetur, & à jure suo impetrandò, sine sua culpa excidat. In quibus verò sex communiter impedimenta referuntur, ob quae appellans etiam post elapsum anni aut biennij tempus ad appellandum debet ad prosequendam appellationem. Primum est impotentia, propter infirmitatem v. g. pauper tatem &c. prosequi non possit appellationem intra tempus conveniens. Secundum est, si appellatus, vel contra quem appellatum est, impediatur per se vel per alium appellatorem à prosecutione appellationis per suas cavillationes, v. g. fructuarias dilationes petendo, prosequendum &c. Tertium est, si utriusque

§. I.

Quando, & quomodo procedere possit ac debeat Iudex à quo sive sit ordinarius, sive delegatus?

Regulariter quidem Iudex à quo debet deferre cuiuslibet appellationi, & gesta coram se intra 30. dies cum Apostolis ad Iudicem appellationis transmittere (propter reverentiam scilicet superioris puniendus vi utriusque juris, si interpositæ ex iusta causa appellationi non detulerit) nisi de jure prohibita sit appellatio, aut in rescripto remota: quod si tamen per fraudem aut malitiam interposita fuisset appellatio, non debet illi deferre, aut illam admittere Iudex à quo, sed potest in causa procedere, c. Suggestum 15. h. t. Neque enim quod à jure concessum est ad innocentiam vel jus suum detorquendum est; si vero super interlocutoria sententia seu questione incidente appellatum fuerit, à cujus cognitione causæ principalis decisio dependet, non potest Iudex à quo super causa principali prius pronuntiare, quam questio interlocutoria in iudicio appellationis decisa fuerit, ut habetur in c. Super eo 10. h. t. ad cavendum scilicet præjudicium: speciale illud est de jure Canonico, quod ille, qui residere tenetur in suo beneficio, & tamen huic suæ obligationi non satisfacit, si ab Episcopo ad residentiam faciendam monitus ad Pontificem appellet, possit per Episcopum cogi ad residendum, vel ut intra
Ecc 2 certum

SECTIO VII.

De officio utriusque Iudicis, à quo, & ad quem appellatur.